Roberto Graio
SCOTO
Londini Medicinam Profitenti,

Archibaldus Pitcarnius
SCOTUS.

S.

ILLE qui terris latitat Britannis,
Solus, aut nullo ſapiens amico,
Ille quam debet miſer inquefelix
Vivere, Grai?
Audiit nunquam meditante Stoto
Carmina Eoas domitura tigres,
Proximum aut Phœbo Priorum canentes
Dulce Camœnas.
Ille qui credat redeuntia aſtra
Solis ac lunæ ſibi dedicari,
Se niſi ut ſolum miſerumque poſſit
Sæpe videre?
Quid putes mi nunc animi eſſe ſoli,
Poſtque tot raqtos inopi ſodales,
Te fere ſolo ſuperante, Te, cariſſime Grai?
Namque nos liquit decus illud ævi
Scotici, ſic Di voluere, liquit
Regiæ ſtirpis decus atque fama
Gregorianæ.
Ille Neutonum incolumem lubenti
Narrat Euclidi Siculoque Divo,
Miraque auguſti docet almus Angli
Cœpta ſtupentes.
Deinde Pergæum reducem novumque
Acris Halleii ſtudiis; ſed ipſe
Quam graves nuper tulerit labores
Dicere parcit.
Iſta necquicquam memoramus: Ille
Immemor noſtri, patruoque gaudens,
Nos ope & cura ſapientis orbos
Liquit amici.